


05

A

1202





Q. D. B. V.

DISSERTATIONE POLITICA

# JUS MAJESTA-

TIS CIRCA TEMPUS,

PRO LOCO

Ab Amplissimo Philosophorum

Ordine indulgentissimè sibi  
concesso,

IN ALMA LEUCOREA

*publicè vindicabit*

PRÆSES

M. FRIDERICUS CHRISTIANUS

BÜCHER /

Schliben. Saxo,

RESPONDENTE

JOH. PAULO REINECCIO,

Heringâ - Thuringo.

*Die XXII. Novembris Anno c1s 1sc LXXVII.*

*In Auditorio Majori.*



VVITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Siegenbeins.

*P. M. Schliben*

V I R O  
MAXIME REVERENDO, MAGNIFICO,  
ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
JOH. ANDREAE  
LUCIO,  
SS. Theologiae Doct. Eccle-  
siae Dresdensis Pastori ac vicinarum  
Superintendenti dudum meritissimo nec non Ele-  
ctoralis Synedrii Supremi Senatori longè  
gravissimo.

*DOMINO meo, ac PATRONO observantissimè colendo,  
atq; etatem suspiciendo.*

Hanc Dissertationem Academicam

*ea, qua par est pietate humillimaq;  
observantia*

dicat consecratque

MAGNIFICO EJUS NOMINI

*perpetuò devotus*

M. Fridericus Christianus Bucher.



05 A 1202



## I. N. J.



**D**œta, uti plerumq̄ solent commentis variis rerumq̄ simulacris & ingenii acumen ostendere, & vel obscura illustrare, vel ea tegere, à quibus profanum vulgus arcere velint; ita non minùs acri iudicio quàm elegantì similitudine Atlantem fingunt humeris sustinere cœlum. Equidem sive montem Mauritania, excelsitate sua nubes superantem, ut ejus vertici tota cœli machina incumbere videatur; sive regum aliquem, qui cœli motum observasse primò, & docuisse fertur intellexere, eam certe litem in presentia non desinio, sed Grammaticis dirimendam relinquo. Paria tamen & Herculi cuidam affinxisse reperio, qui ab Atlante cum didicisset Sphæra Cœlestis usum, & in Græciam transtulisset, ei laboranti successisse dicitur. Sic enim Poëta;

Hercule supposito sidera fulcit Atlas.

Quod si ad regem fabula omninò spectat, per mihi placet, artium astronomicarum peritiam regia majestate dignam judicari. Qui pulcherrimas illas literas, ad umbras, ad carceres & Sceptra Pedagogorum condemnant, earumq̄ tractationem regali fastigio longè inferiorem putant, mea quidem sententia oppido falluntur. Etsi ad abacum Pythagoræ, ad arenam Euclidis, ad Archimedis circulos, ad Cononis radium è folio demitti necessum non sit, & cum imperio præstet, quàm cum cœlo ponere calculum; nosse tamen ex his aliqua ( μὴ τὰ κομψῶν, ἀλλ' ὅν πολεῖ δὲ, sicut ex Euripide loquitur Aristoteles\* ) & sua principis, & reip. totius interest. Ut alia omittam, curatissima temporis observatio, quàm ex cœlo

A 2

\* 1.3. Polit. c.3.

Et astris petere oportet, tam necessaria est, ut sine ea nec civitas feliciter ordinari, nec quicquam sapienter constitui possit. Quamobrem non tantum Romulus, ejusque successor Numa, cum Romam gentium Dominam à se nuper conditam saluberrimis munirent legibus, inter eas precipuam temporis curam habuerunt, descripto in menses diesque certos anno; verum etiam Caesar, ejusdem reip. longa consuetudine corruptos mores depravatamque statum reformaturus, instaurandi ferè primordium à corrigendis fastis cepit. Ex quo manifestum sit, Studium earum rerum, non modo principatu non indignum, sed etiam inter proprias ejus partes atque officia numerandum esse. Id quod opportunè intellexit Augustissimus Saxonie Princeps Augustus, cum Romanus Pontifex, ille Dei hominumque [si utrisque placet] servus et, ut cum Plauto dicam, sacerdotum calator, variis technis consutum atque intercalatum Calendarium suum arrogantia prorsus intolerabili promulgasset, atque in Comitibus Augustanis Imperatori Rudolpho II, ut toti Romano Imperio obtruderet, persuadere vellet. Is enim cum Wilhelmo Hessorum principe, summa non solum ob prudentiam et animi equitatem inter Protestantes auctoritatis, sed ob raram in tanta dignitatis viro harum rerum peritiam, communicatis consiliis, gravissima oratione ostendit, ea in re imperatoriam verti auctoritatem et existimationem, quam sibi Pontifex nefario ausu arrogaret, aut dolis et machinis convellere niteretur. Cujus maximi Herois consilium, etsi plurimi dudum illustrarint, et à calumniis mendacisque rase cohortis satis superque vindicarint, vitio tamen mihi versurum confido neminem, si quæ sigillatim ab aliis de Calendario Pontificis disputata sunt, ad prima quasi elementa et principia revocare, brevique dissertatione, tum quod tempus ordinare proprium majestatis manus sit, tum quousque vim illa suam in hoc negotio exporrigere possit ac debeat, exponere pro virili mea parte contendam. Cui demum conatui et Divini Numinis et equorum hominum benevolentia, qua ego fretus hanc arenam tentavi, non infelices successus pollicetur.

S. I. Qvi

§. I.

**Q**ui ædificium aliquod excitare volunt, ante omnia de jaciendis fundamentis vident, & deinceps ut tota domus partibus suis ordine exsurgat, diligenter faciunt. Hos ego, dum de majestate circa tempus differere instituo, pariter imitaturus, primò quid ipsa majestas, quid item tempus, quod ei tribuitur, & quale sit, explicare consultum puto, quod iis tanquam fundamentis rectè positis, tota veritatis, ut ita dicam structura, faciliùs confici posse videatur. Et ne longiora diverticula quæram, missoque ad Grammaticos vocis etymo, majestas, de qua nos loquimur, non externa illa est, quam de se regix dignitatis diffundit jubar, dum splendore suo præstringens subditorum animos opinionem in iis magnificam, eamq; existimationem principis gignit, qua ejus virtutes velut attoniti suspiciunt, admirantur, adorant. Quamquam enim non diffiteor, præsentix regix certo tempore definita intervalla plurimum momenti conferre ad comparandam auctoritatem, nec displiceat, à Marone (a) laudata Æneæ consuetudo, cujus *molles aditus & tempora fandi* nosse oportebat, qui interiorem admissionem peteret, hæc tamen principis magnificentia ad præsens institutum nihil facit.

§. II. Nos itaq; hic loci Majestatem cum Philosopho (b) dicimus esse τὸ πανταχὲ κύριον τῆς πόλεως, summam illam civilem q; potestatem, ex qua in omnia regimen, quæcunq; societati civili saluti fuerint. Quæ verba membratim explicare, & Politicorum scrinia, in quibus ad tædium usq; inculcantur, compilare non vacat. Unum hoc addo, potestatem illam, quæ præstat, ut homo velut extra conditionem suam positus, Numinis vice fungatur, & dum resp. salva est, ipsa quoq; perpetuò durat, superstes omnibus, quot quot vitam juxta & sceptrum cum morte commutare contingat; nec per plures cum se diffundit, multiplicari solet, vix posse in rerum naturalium numero haberi, vimq; esse humanam multò majorem. Quid? si eum, qui majestate pollet, dicas, in consortium venire ipsius Divini regiminis, à quo hæc potestas summa reapse nihil diversa sit, nisi quod divinitus communicata homini finito atq; creaturæ convenienti modo exerceatur,

A 3

neq;

(a) l. 4. Æneid. (b) 3. Polit. c. 41.

neq; in omnes res inanimes juxta ac animatas, neque in quasvis hominum actiones virtutem suam exerat, sed intra terminos felicitatis civilis consistat? Equidem haud scio, an quicquam à veritate alienum dixeris, praesertim quod ex sacris constet literis, *ipsam esse Dei virtutem ac Sapientiam, cujus beneficio reges his terris longe lateq; dominantur.* Solent majestatem Nostri cum sacraministrorum Ecclesiae potestate saepenumero comparare, quae illustri similitudine plurimas, quibus haec doctrina premitur, difficultates sine ullo negotio & feliciter expediunt; nec dubium mihi est, quin pariter illa hac in parte totam rem illustrare planamq; facere possit.

III. Quicquid ejus sit, apud omnes certe sanioris philosophiae Magistros in confesso est, majestatem à solo Deo proficisci, qui cum summus rerum omnium arbiter, & Optimus Maximus Imperator est, tum solus tantae potestatis hominem potest facere participem. Ex quo colligere in proclivi erit, eum, cui summa haec dignitas contigit, nullius unquam teneri, nisi Dei imperata facere, neq; ullis adstringi legibus, si à naturae praecipis iisque discedas placitis, quae omnium gentium unanimi assensu probata, & post hominum memoriam sanctissime servata sunt. His denique accedunt sanctiones, à quibus reip. constitutio & universa salus pendet. Ad horum namq; institutorum observantiam si non cogi à quoquam civium, iis tamen se planè solum arbitrari, nemo hominum potest, nisi qui vel naturam eversum, vel fidem è societate hominum sublatam, vel ipsam denique civitatem funditus deletam velit.

IV. Haec per se quidem una est, dividiq; nescia majestas, ut tamen vis ejus atq; amplitudo penitus cognoscatur, propter diversos effectus, quibus se prodit, rerumq; varietatem, quas magnifico ambitu complectitur, saltem animi cogitationibus distinguere licebit. Inter ea verò, quae majestati subjacent, principem locum personae tenent, quae rationis compotes justis mandatis parere, aut officii detrectati penas vereri sciunt. His deinde res succedunt, in quas si non imperium, saltem dominium divinitus permissum est; & utrisq; demum variae conjunctae circumstantiae, quae felicitatem civilem quoad juvare vel impedire possunt, summo huic moderamini non eximuntur. Jam verò  
si tem-



si tempus ad majestatem pertinet (pertinere autem demonstrabi-  
mus) ad ultimum ordinem referendum esse, vix operæ-premium  
est, pluribus monere.

V. Hæc de majestate pro nostro instituto carptim & capitu-  
latim attigisse sufficit. Nunc & ratio temporis habenda est. Scio  
eqvidem, vocem hanc multiplici ambiguitate premi, sed de omni-  
bus dicere nihil attinet. Illud prætermittere non possum, usum  
hujus vocabuli frequentem esse ad permanentem rerum durabi-  
lium statum significandum, quod tempus internum Philosophi  
vocant. Etsi verò ut res diu vel minus durent, ac præsertim ho-  
minis vita quodammodo in majestatis atq; illius manu sit, qui jus  
vitæ ac necis habet, ea tamen res ad præsens in disceptationem  
non venit. Tempus, quod externum vocant, & per mensuram  
durationis naturalis motu siderum determinatam describunt, hic  
intelligimus. Cave tamen, ne universum illud majestatis arbitrio  
summittas, quæ ad ipsum, quatenus in publicum aliquid utilitatis  
præstat, sese accommodat; idq; adeo civile tempus non absurde  
dixeris, quod à Physico illo ac naturali (ut ut has appellationes  
Astronomi æq; ac Chronologi, magis innovandi, quàm docen-  
di studio mirificè confundant) longo intervallo, & velut species  
à suo genere distat. Tempus enim, cujus disponendi jus sibi ma-  
jestas sumit, mensura est tantum actionum civilium, quæ illæ ad  
motum Solis & Lunæ in justa intervalla descriptæ ad felicitatem  
civilem ordinantur.

VI. Ex actionibus civilibus hoc loco tempus spectandum,  
nulla habita cæterarum rerum naturalium ratione; & ressecanda  
omnis subtilitas Mathematica, quæ in vita communi sectari,  
inutile aut nimis quàm curiosum est. Solis autem & Lunæ motu  
omnes in universum gentes civilia metiuntur tempora, quod ho-  
rum siderum & omnium oculis familiaris maximeq; obvia & o-  
manium facillima esset observatio. Non tamen cæteræ stellæ ab  
hoc officio, quod iis rerum Conditor assignavit, prorsus removen-  
dæ. Certum est, Ægyptios ortum caniculæ propter incrementa  
Nili, & Priscos colendi agri tempora ex ortu & occasu stellarum,  
quas fixas nominant, observasse; nescio, annon majori cum fructu  
& certitudine, quàm ex corruptis fastis hodiè nostrates solent.  
Tandem cum panè infinita actionum humanarum intervalla ad-  
eòq;

eoq; certis terminis circumscribenda sint, alios hic natura & Deus posuit, cujusmodi sunt hebdomatae dierumq; & noctiu, veris, autumnis, aestatis atq; hiemis vicissitudines; alios humana cura fixit, quò anni, menses, horæ, epochæ, periodi q; temporu referri debent. Utriusq; generis discrimina civile tempus constituunt, sed dispari ratione ad majestatem spectant. Quæ libera hominis voluntas disposuit tempora, proximè & per se majestatem; quæ vero Deus & natura instituit, non nisi interventu actionum humanarum attingunt. Ex quibus constare opinor, quod tempus merè civile hic considerari, quomodoq; & quatenus à physico discerni oporteat.

VII. His ita jactis fundamentis reliqua, quæ cum tempore majestatem contexunt, sine negotio extruuntur. Sicut vero totius structura ædificii arctis compagibus concludi nequit, nisi partes & inter se & ad totum aptè conveniant; ita sine dubio tempus & operam fallemus in definienda majestate circa tempus, si ad invicem hæc aptari nequeunt, nullaq; inter se dispositione, nullo ordine, nulla proportionem cohæreant. Itaq; ante omnia ostendam, tempus cum majestate omnibusq; ejus partibus ita connecti, ut soli huic summæ potestati temporum constitutio competat. Id quod ferè infinitis argumentis docere in promptu erat, ex quibus potiora solùm, quæ tum ex majestatis natura, tum ipsius temporis conditione velut sub manu nascuntur, seligere visum est.

IX. Ac primo quidem principem, vel quicumq; majestate potitur, Dei vices & personam in his terris sustinere, tantumq; in civitate posse finito regimine, quantum infinito in universitate Deus, nemo inficias ibit, nisi qui ordinem divinitus institutum perturbare & convellere ausit. Jam sicut summus ille arbiter statim inter initia rerum mundo leges observandi temporis dixit, diesq; festos ac profestos primus distinxit, ita quem divinæ hujus participavit dignitatis suæ, quæ regnare & dominari potest, summa quoq; non tantum ea, quæ jam de tempore ab se constituta essent, stabiliendi juxta & custodiendi, verum etiam, si usus in re foret, novas de eo leges ferendi potestate instravit. Quid? quod idem ille Maximus rerum Rector, cum in rep. Ebræa principis ipse munere fungens, inter primas, quæ sanxit, leges annum novis auspiciis atq; religione devinciret, quæ prima & præcipua majestatis offi-

tiſ officia eſſent, ſuo ipſemet exemplo illuſtre conſtituerit do-  
cumentum.

IX. Deinde tempus haberi in numero bonorum publicorum  
debet, quæ etſi communia omnibus, eorum tamen promiſcuus u-  
ſus cum facilè turbaret felicitatem reip., nec privato niſi in ſuas  
cuiq; poſſeſſiones dominium pateat, ea ſibi proprio quodam jure  
majestas vindicat. Hæc igitur, quem tam longe lateq; regem fe-  
cit, ut ejus arbitrio omnia loca publica, tam fana quàm profana,  
vias, portus, flumina, ſylvas, agros, ipſum deniq; vaſtiſſimum  
mare velut mancipatum ſubdiderit, quid, amabo, cauſæ foret, in  
tempus, quo vix majus ampliusvè beneficium Deus homini uten-  
dum dedit, & in ordinationem ejus quin pari jure uteretur?

X. Tum verò ſiquidem circumſtantiæ neceſſariò ſeqvuntur  
conditionem ſuarum ſubſtantiarum, ſanè in cujus poteſtate per-  
ſonæ ac res ipſæ ſunt, non poteſt earum tempora moderamine ſuo  
non contingere. Annon helleborum huic homini opus eſſe di-  
cas, qui paratus equidem principis imperata facere, ne tamen vel  
hodiè, vel cras, vel alio tempore pareat, velit deprecari? Gravius  
profectò illuderet majestati, quàm Ulyſſes nomine ſuo Polyphem-  
mo, idemq; faceret, ac ſi à ſole poſtularet, ut ea lege illuminaret  
aërem, ne ſuperficiem ejus tangeret.

XI. Sed diu multum in limine ſubſtiti. Juvat in ipſa maje-  
ſtatis penetralia introſpicere. Nam niſi per omnia fallor, ple-  
raq; jura majestatis vim ſuam certo metiuntur tempore. Stati-  
plerumq; & anniverſarii dies atq; menſes imperandis deſtinantur  
feriis; Comitia, Concilia, judicia, nundinas, fædera pacis ac  
belli inducias, ſtatutis dierum, menſium, annorumq; intervallis  
deſiniri oportet. Quid de ferendis legibus dicam? Mitto præ-  
ſcriptionis & alia jura, quæ de tempore paſſim præcipiunt. Sæpe  
leges temporarios præſens rerum ſtatus poſtulat, quæ tantum ad  
tempus valeant, quo elapſo denuò abrogantur; neq; ſemper pro-  
mulgationem legis cum obligatione continuò conjungi expedit;  
ſed certa quædam pænarum & impunitatis intervalla relinqui  
conſultum eſt. Nihil itaq; tam vanum atq; abſurdum cogitari  
poteſt, quàm illam poteſtatem, qua in humanis nulla major aut  
ſuperior eſt, cum alterius ſubefſe auctoritati, à qua ſibi rerum in  
civitate gerendarum tempus præſcribi pateretur, tum ejus officia  
incerta & varia menſium, annorumq; deſcriptione miris modis  
turbari ac impediri poſſe. XII.

XII. Accedit & illud, quod in temporum vicibus plurima salutis publicæ momenta sint posita. A tempore rerum ordo maximè pendet, quem ut omnibus regum Sapientissimus (c) commendat, etiam atque etiam inculcat, *suo quæque tempore agenda esse.* Prima noctis & diei discrimina indigestum illud chaos in ordinem redigere cæperunt, & nascentis pulchritudinis prima quasi ostenderunt lineamenta. Et sapienter Veteres *tempus* vocarunt *omnium sapientissimum*, quod eos non tantum de experientia omnium rerum magistra, sed etiam de eo intellexisse credo, quod ordine doceat negotia dispensare. Quid autem ordine civilius, quid in rep. salutarius, quid magis necessarium est? Tolle ordinationem temporis, terram cælo misceri, atque in antiquum chaos resolvi cuncta, in templo, in curia, in foro, & suæ quisque domi, licentiam, confusionem, everfionem, ex ordine permutare vices attonitus videbit. Actum erit de fide civilis societatis. Neque enim in edictis, judiciis, pactis, aliisque negotiis, quæ contrahendis & permutandis rebus vacant, ullius momenti major, quam temporis habetur ratio: & Syngrapha sine die ac consule perscripta suspectam aut certè sublestam interponit fidem. Quantas quæso turbas in rep. Romana dedit Pontificalis intercalandi licentia. Audias, sodes, conqverentem Svetonium, (d) *in fastis Pontificum vitio neque mensium ferias æstati, neque vindemiarum autumno competiisse.* Audias Censorinum; (e) *Pontificum plerosque ob odium vel gratiam, quo quis magistratu citius abiret diutiusve fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove esset, plus minusve ex libidine intercalasse.* Audias & Ciceronem; Pontifices non tam cæli rationem quam cælati argenti duxisse, non diem ex mense, sed unum dimidiatumque ex anno mensem exemisse, omnibus recusantibus & plorantibus sæpe proscripsisse dies mensesque comitiales, eosque accidisse, ut qui ad comitia tempore se venturum putaret, post festum veniret. Hæc satis opinor, docent, salutem civitatis in accurata temporis constitutione verti, quam in omnibus rebus respicere & procurare cum propria majestatis sit atque suprema lex, vim ejus & auctoritatem vehementer minuat, oportet, qui civile regimen excludere à temporis cura velit.

XIII. Tandem ne jus solum afferuisse, quod majestas nunquam usurparit, videar, pauca ex omni ævi memoria repetere  
pla-

(c) *Eccles. III.* (d) *de die natal. c. 20.* (e) *l. 2. in Verem*

placet, quibus ostendam, veteri instituto, & à primis ferme re-  
rum incunabulis usum hunc in rep. increbuisse, ut rerumpub.  
rectores tempora ordinarent. Atque ut ab historia sacra ordiar,  
æquidem non dubito, Adamum & cæteros prisci ævi Patriarchas,  
qui in familiis suis principum loco habiti sunt, tempora in annos,  
menses atq; dies descripsisse, & si non diversis nominibus, numero  
saltem atq; ordine distinxisse, cujus rei vestigia quædam dies men-  
sesq; diluvii, à Mose diligenter numerati videntur reliquisse.  
Hæc tempora computandi ratio in Abrahami atq; Ebræorum  
familia velut per manus tradita obtinuit, donec Deus huic genti  
ex Ægypto reduci, cujus ipse dux erat, novum anni modum præ-  
scriberet, aliaq; multa de tempore sacrorum civiliumqve nego-  
tiorum non per Aaronem Pontificem, sed per Mosén, quendam  
veluti proregem præciperet. Qua Divina constitutione etsi  
pleraque de tempore definita essent, & nihil horum innova-  
re vel antiquare cuiquam liceret, nihilominus, cum de officiis  
aulicis, quorum vices per duodenos anni menses David & Salo-  
mon (f) dispartiti sunt, de edictis publicis, quibus Josias & Hi-  
skias (g) festa instaurarunt, de Horologio Achasi (h) aliisque  
relatum legimus, quis omnium neget, principes hujus reip. tem-  
poris ordinationem sibi apprimè commendatam habuisse? Imò  
Judæi cum peregrino servitutis jugo pressi Persarum regibus  
parerent, festum assertæ ab Esthera (i) libertatis, quod Purim vo-  
cant, Mardocheus non nisi jussu & auctoritate Ahasveri consti-  
tuit, quotannis ut ageretur. Postea verò quam in tabulis &  
codicillis publicis annos Alexandri M. (k) signare cœperunt,  
etsi non nihil à patria religione desciscerent, quod antea libera-  
tionem ex Ægypto in literis meminisse confvessent, ea tamen re  
Macedonum Imperio, qui in provicias sub potestatem suam re-  
ductas, hanc æram Calippi, (l) quam vocant, introduxerant,  
obnoxios se, subjectosq; profitebantur. Postremò inclinatis eo-  
rum rebus Synedrio M. penes quod aliquando summa judiciorum  
potestas fuit, temporis curam selectis judicibus commissam, &  
de anno intercalari septemviros, de mense autem statuisset trium-  
viros, donec postea omnibus popularibus suis hoc negotium.

B 2

ademe-

(f) 1. Reg. IV. 1. Chron. XXVII. (g) 2. Reg. XXIII. 2. Chron. XXX.  
(h) 2. Reg. XX. (i) Esther. IX. (k) D. Strauch. de Comput. Thal-  
mud. Rabbin. S. 5. (l) Scal. Emendat. Temp. l. 1. p. 47. l. 4. p. 225.

ademerit Hillel Babylonius, ex Maimonide Cunaus (m) atque Dorschæus (n) referunt. Quæ prolixiori serie adducere volui, ut ne in sacra quidem rep. temporis ordinandi potestatem solis Levitis aut Pontifici Maximo traditam esse, sed ad Magistratum Politicum pertinuisse constaret.

XIV. Hinc ad cæteras gentes me converto. In Ægypto, cum anno bimestri aliquando uterentur, post ab Ifone rege (aut quodcunq; ejus nomen aliud fuit,) quadrimestrem factum, sed eum novissimè Arminona correxisse, & ad tredecim menses, & dies quinque perduxisse, auctor est Censorinus, (o) qui & Hori Ægypti regis instituto annum trimestrem apud Arcadas usitatum accepto refert. Quæ si dubitatione omninò non carent, saltem de judicio eruditissimi scriptoris testantur, qui temporis ordinationem ad reip. principes referendam censeat. Persæ, si Scaligero (p) credimus, Annis Ægyptiacis olim assveti, Jedziirdi, quam vocant Epocham, sive ab ipso hujus nominis rege, sive in memoriam conversionis reip. quod ultimo rege devicto Persia in potestatem Saracenorum pervenerit, à victore, certè ab Imperatore suo jussi sunt usurpare. Eam verò anni formam postea, (q) cum prorsus incertam vagari & rebus sacris, quibus Persæ operantur, minus accommodatam animadverteret, Sultanus quidam (cujus sesquipedale nomen, & alia, quæ ex scribere nimis longum foret, apud Scaligerum videri possunt) adhibitis in consilium octo præstantissimis Viris denuò correxit, novamq; instituit, quæ Persis vocatur æra regia & Augusta Astronomica. Nihil de Hegira Turcarum dicam, quæ de sua per totum Orientem loquitur auctoritate. Usq; adeo barbaræ etiam gentes intellexerunt, annos corrigere regis curæ & potestatis esse.

XV. Verum ne cultiores gentes hoc ignorasse & neglexisse putes, reputa cum animo Græcorum resp. inter quas licet de dierum mensiumq; numero ferè conveniret, in eo tamen dissenisse deprehendes, quod nec ab eodem capite ordirentur annum, nec eodem modo intercalarent. Quod æmulatione imperii factum esse, planè existimo. Dum enim civitates illæ suam

quæq;

(m) l. 1. de rep. Ebr. c. 13. (n) dissert. de agno Pascha l. 22.  
(o) D. Nat. c. 19. (p) de Emendat Temp. l. 3. p. 200. (q) Scalig.  
l. 6. l. 4. p. 284.

quæq; tueri majestatem, atq; imperium Græciæ sustinere nitentur, summo caverunt opere, ne ulla in parte majestatis altera cedere alteri, aut leges suas acceptas referre viderentur. Quid verò de Romanis rerum dominis memorem? Pervulgata sunt Romuli Pompiliiq; nomina, neq; Julii Cæsaris repetita mentione opus videbatur, nisi imperatoriam dignitatem Romanus tentaret Pontifex, eo cum primis obtentu, quod in Veteri Romanorum rep. jus sacrorum atq; fastorum penes solos fuisse Pontifices, & Julium Pontificali fultum auctoritate annum correxisse, sibi & aliis persuaderet. Dignum profecto tali patella operculum! Decebat verò maximum Christianorum sacerdotem celeste munus gentilis flaminis metiri ac mentiri auctoritate. Decebat horum nosse atq; intendere fraudes, quibus fastos corrumpere, reiq; publicæ statum miserè turbarunt. Decebat insuper commentis sacram munire potestatem. Solis Romanorum Pontificibus curam temporis incubuisse, quovis quisq; dixerit, nisi Romanæ historiæ rudis? Romulus ac Numa multo ante Romanis ordinarunt annum, quàm vel nomen Pontificis apud eos innotuerit. Ipso Pontificum ævo prætores, consules ac deniq; dictatores in pariete ædis Jovis clavos annales pepigisse, ex quibus annorum numerus colligeretur, nec non Censores lustra & Horologia curasse Livius (quem ex Festo pluribus illustratum vides apud Polydorum (r) Vergilium) & Alexander ab Alexandro (s) memoriæ prodiderunt. Adde quod præter intercalandi magis licentiam quàm potestatem muneri Pontificum in hoc negotio nihil tributum legas. At intercalare annum, & eundem corrigere & mutare immane quantum discrepant? Neq; jus eo utenti statim rectè assignaveris, nisi pariter existimes, Lunæ, quod orbem illustret, propriam lucem esse. Aut si Pontificalis muneris potestas prorsus eximia fuit, qua omnes honores & munia civitatis Romanæ antecelluit, ut ejus rationem reddere flamines cogi à nemine possent, Cæsar ex solo Pontificis officio fastos corrigere non potuit aut certe noluit. Pars benè planè magna erat Pontificiæ majestatis, ut quando iis visum esset, intercalaretur. Qua licentia adempta, eorum auctoritatem insigniter imminui necessum fuit. Quis verò credat, Cæsarem suæ ipsius invidisse dignitati?

B 3

(r) l. 106. 19. Invent. rerum. (s) l. 9. Gen. dier. c. 10.

gnitati? Quin imò cum regnum ipse & Monarchiam animo agitaret, & plurima majestatis jura penes sacrorum reges residere animadverteret, omni conatu, & magna ambitione egit, ut cum Consulatu & Dictatura, etiam Pontificatum conjungeret, quo demum obtento, omnia in rep. tentare juxta & immutare integrum erat. Itaque Censorino (t) & aliis, qui Pontificatui Cæsaris emendationem anni tribuunt, merito Svetonii (u) præfertur testimonium, qui *Julium*, ait, *fastos correxisse, cum se ad ordinandum reip. statum converteret*; quibus verbis negotium hoc summæ gubernandi reip. non sacra curandi potestati manifestò adscribit.

XVI. Ec quid multis moror? Enimverò Augustus Cæsaris scita & mandata, quæ post ejus fata (x) Pontificum vel incuria vel incitia intercalandi refixerat, auctoritate non pontificali, sed imperatoria denuò instauravit, publicumq; emisit edictum, quo apud omnes Romani imperii nationes annum Julianum in consuetudinem introduxit. Quæ Cæsaris auctoritas ita quoq; invaluit, ut postea omnes Imperatores eam tueri, sartamq; & tectam posteris conservare studerent; idq; ne tum quidem neglexisse comperimus, cum Christianæ religioni nomen dederunt. Inter immortales Constantini M. laudes (y) hæc non postrema est, quod diem Dominicum religiosum habere severo edicto mandavit (ex quo tempore loco Nundinarum atq; Iduum, quas apud Romanos feriatas fuisse constat, festa Christianorum fastis publicis inserta esse, facile inducor, ut credam) litemq; in Ecclesia de die Paschatos ortam auctoritate sua, & coacto Niceæ Concilio decidendam curavit. Hujus Augustissimi Principis pietatem secuti alii imperatores Valentinianus, Theodosius, Arcadius, Justinianus, Ludovicus, Lotharius ceremonias diesq; sacros summa religione sanxerunt, quorum leges Dn. D. Strauchius in Breviario Chronologico, (z) & alibi adducit. Nec silentio præterire fas est Carolum M.,\* qui translato ad Germanos imperio, eos docuit annua spatia & dierum intervalla Romana consuetudine computare & mensium nomi-

(t) l. c. c. 20. (u) *Cæs.* (x) *Macrob. Saturn.* l. 1. c. 14. *Scal. Emend. temp.* l. 4. p. 221. (y) *Euseb. l. 4. de vita Constant. c. 19. vid. D. Strauch. Chronol.* l. 2. c. 2. 9. 14. (z) l. 2. c. 7. 9. 6. & l. 4. c. 45. qv. 1. *vid. Dissert. de Comput. Julio-Const. §. 20. 21. \* Eginhard. de vita & gestis Caroli M. Vid. D. Strauch. Dissert. de Computo Veterum Germ. §. 17.*



nomina, quæ antiqua superstitio dederat, per significantibus & propriis vocabulis commutavit. Huic non minus magnanimitate quàm cognomine similis Carolus III, auctor fuit, Aventino teste, (a) Christianæ consuetudinis, quæ annis per Christum recuperatæ salutis, epistolæ, libri & diplomata consignantur. Sed de Religione principum curaq; sacrorum & ludorum solennium, quæ uti Majestatem arguant, ita non possunt à temporis ordinatione divelli, alibi dicam.

XVII. Illud ad huc ab re non fuerit subteexere, quod Scaliger (b) notavit Gentes in gratiam principū, quorum imperio accesserant, novas usurpasse epochas & à victoribus tūc cœterarū rerum, tūc temporis accepisse leges. Quod epochæ exitus Israëli- tarum, Urbis Romæ, Nabonassaris, Calippica, Juliana, Hegiræ, Jezjirdi testantur, omnes sub ipsis novorum imperiorum incunabulis natæ. Huc referendum & illud arbitror, quod tempora rerum gestarum per vitas & ætates Patriarcharum, regum & quibus præfuere, regnorum in historiarum monumentis, publicisq; edictis significandi verutissima invaluerit consuetudo, quæ hodi- enum Imperatores utuntur. Notatu dignum est, quod Bojorum Annalium diligentissimus scriptor (c) memoriæ mandavit, *Pontifices Romanos quondam diplomatis, epistolis, & libellis omnibus Imperatoris annos addidisse, Primum autem Paschalem fuisse; qui sue potestatis numerum ad scripserit.* Atq; si titulus sæpè majestatis prætensæ argumentum est, haud præter rem & sine opinione sum- mæ auctoritatis fecisse imperatores dicendum, quod diebus & mensibus sua imponi paterentur nomina. Sanè Svetonius inter honores Cæsaris nimios, qui regiam dignitatem spirabant, appellationem mensis è suo nomine refert, quam nec Augustum ad- spernatum esse, & Neronem magna ambitione affectasse scribit. His gemina de Domitiano Eusebius (d) & Plutarchus; (e) de Com- modo, Ælius Lampridius; de Demetrio itidem Plutarchus in ejus vita, commemorant. Imò apud Persas dies quoq; priscis regi- bus cognomines fuisse testatur illustris temporum Emendator Scaliger (f). Quod verò aliæ gentes à Diis & rebus sacris menses atq; dies appellarunt, eo consilio factum existimo, ut religionem

Numi-

(a) l. 4. *Annal. Bojor.* (b) l. c. l. 3. p. 1891. (c) l. 6. (d) l. 1. *Chron.*  
(e) in *Numa* (f) l. 1. p. 6.

Numinisq; reverentiam, cujus magna in rep. vis est, singulis diebus vel sola eorum appellatio homines admoneret. Quæ universa & singula Majestati jus dispensandi temporis, si non pari robore, tamen evidenti ratione asserunt, ut cui apparere nequeat, Diogenis lucerna egeat, quæ in meridie non homines, sed diem ipsum quærat.

XIIX. Hactenus de contextu, quo tempus & majestas arctissimè cohærent. Nunc tota structura quibus disterminetur partibus, quibusve officiis destinentur illæ, declarandum. Quia verò majestatem in actionibus civilibus terminari jam supra monui duo potissimum ejus officia circa tempus deprehendo, partim ut illud pro modo actionum civilium ordinet, partim ut has ad præfinitam ordinationem accommodet & gubernet. De priori ut rectius constet, quædam præmittenda duco, quibus majestas intra suos contineatur terminos. Primò quod supra tetigi discrimen eorum, quæ Deus, natura hominisq; consilium instituit, id denuò hic sedulo inculcandum est. De naturæ ordine, quem tempus necessario sequitur, nihil opus erat monitore, cum per se manifestum sit, quæ æternis siderum legibus parent, sub arbitrium humanum non cadere, neq; valere in exemplum incomparabile Josuæ facinus, cujus non imperio sed fidei merito, (g) ut de ipso loquitur Severus, cœlum & natura cessit. Qui dierum noctiumq; vicibus, aut quadrupartitis temporum commutationibus leges sciscere velit, æq; ridiculo foret, ac Xerxes, qui æstum maris ferulis castigare & in ordinem ridigere jussit. Pari modo de divinis scitis statuendum est. Quò cum primis pertinet dierum hebdomas, à Deo in memoriam operum Creationis, quæ sex diebus perfecit, & sanctificationis diei septimæ, quæ creare desiit, instituta. Quæ Divina sanctio tantum valuit apud omnes gentes, ut licet diem quietis usq; quæq; sacram non habuerint, hebdomada tamen, & ejus seriem ad omnem posteritatem transmiserint incorruptam. Idq; tam certum Chronologi & exploratum habent, ut qui aliter sentiat, primum aliquod principium adducere in dubitationem iis videretur. De die Sabbathi etsi litem in præsentem meam non facio, utrum ad legem Dei moralem pertineat, nec ne? illud tamen vix dubium videtur esse, sacratissimam lucem uti solus

DEUS

(g) l. 1. *Histor. Sac.* c. 23.

DEUS in Ecclesia celebrari jussit, ita non injussu ejus, aut, minimum instinctu ab Apostolis cum die solis permutatam esse; adeoq; Pontificem (b) Romanum sibi nefarie arrogare hujus constitutionis auctoritatem. Conceditur itaq; liberum majestati arbitrium in tempora naturæ Deiq; legibus soluta, ea tamen adhuc adhibita cautione, ne quid de his etiam institutis temerè immutet, quæ à cana & venerabili antiquitate profecta, in conciliis totius Ecclesiæ consensu constanter approbata, & tot retro seculis summa religione servata sunt, nec adeò sine piorum offensione, & Christianæ libertatis periculo abrogantur. Idcirco inter plurimas causas, ob quas Calendarium Pontificis improbat, vel prima hæc est, quod contra Nicæni Concilii placita festum Pascatos cum Judæis celebrandi sæpe permittat licentiam.

XIX. Deinde quoniam sidera, & potissimum duo maxima mundi lumina in solatium vitæ humanæ & discrimen temporum nata sunt, hunc naturæ ordinem ne civilis pervertat ordinatio, cavendum est. Scitè Aristophanes (i) Lunam ipsam inducit cum Atheniensibus exoptulantem, quod menses ad Lunam non describerent, sed ultro citroq; aberrare paterentur. Nulla vero natio fuit, quin ad utriusq; & Solis & Lunæ processus rationes temporis civilis summo, quantum in se fuit, studio exigeret, quamvis successu non æq; felici. Quamobrem in ordinatione civilis anni (reliquorum enim temporum ratio ab hujus constitutione potissimum pendet) hæc imprimis legislatori videntur esse observanda, ut præterea quod utriusq; sideris habenda sit ratio, caput anni fixum statuatur, utq; menses statas anni servent tempestates, & deniq; ne intercalatio in remedium illarum difficultatum reperta nimis frequentem anni varietatem inducat. Hæc enim observatio dici non potest, quam necessaria in usu civili sit, quantumq; in publicum, & ad res gestas memoriæ mandandas utilitatis præbeat. Quæ cum neq; Græci, nec Ægyptii, nec Judæi, nec alii populi in temporum ordinatione satis assecuti sint, Romanorum Imperator Cæsar sua civilis anni constitutione omnibus nationibus palmam præripuit, & hac præclara opera reip. navata gloriam consecutus est omnibus triumphis, quos

C

ex tot

(b) vid. Guldin. Refut. Elench. Calend. c. 2. (i) vid. Scal. l. 6. l. 2. p. 70.

ex tot gentibus devictis egit, imo ipsorum temporum ac vetustatis invidia majorem. Ex iis autem, quæ diximus, satis liquet, etiamsi omnia in usu civili ad calculos exiliter revocari non possint, tamen in ordinando tempore Mathematicam accuratioronem nullatenus negligendam esse. Longo enim temporis tractu à minutiis sæpè ad notabile discrimen crescit hac in re leviter commissus error, quem ne Cæsar quidem in anno suo satis evitare potuit. Quæ in re Priscos etiam Ecclesiæ Patres vehementer fefellit opinio, quia constitutum & inveniendum Paschatos tempus cyclica & fallaci maluerunt, quàm astronomica & exquisita computatione rati.

XX. Præterea omnis hic fugienda superstitio est, quæ cum pietati adversatur, tum paganæ ignorantia resipit reliquias. Fausta & infaustra tempora, fastos ac nefastos dies, lapillos candidos & atros, numeros pares ac impares suis reliquimus auctoribus, omnibus detestati modis, inter Christianos etiam reperiri curiosos ejusmodi sciolos, qui in fastis suis nefastis atro superstitionis carbone dies notare quosdam, & è cælo (pœnè ex ore dixerim) de pace, bello aliisque civilibus negotiis, nescio quæ divinæ scientiæ opinione, futura prædicere consueverunt, fortean nosse, persuasi, quid Jupiter in aurem dixerit Junoni. Equidem non ignoro, ex omni memoria observari fatales reip. dies, quibus insignis accidit conversio Horum benè magnū Catalogum Plutarchus in Camillo (k) aliisque literis consignarunt, quos exscribere, non vacat. Verum enim verò uti omnis superstitio removenda est, ita nolo principis pietati modum statuere, quæ vel in memoriam ingentis beneficii divinitus in reip. collati, vel ad deprecanda pericula, & avertendam iram Dei dierum imperet solennia.

XXI. Tandem nec reip. salus & egregium publicum, cui ornando, amplificando, tuendo majestas consecrata est, hoc in negotio postponi debet. Id quod imprimis in feriarum, conciliorum, judiciorumque & aliis solennibus diebus indicendis observari decet, ne feriata jubeantur esse tempora, quibus nihil minus in rep. quàm feriari licet, cujusmodi sunt messium & vindemiarum tempora, quæ ideò apud Romanos (l) judiciariam curam relaxabant. Neque enim principis studium & pietas cum malo reip.

(k) vid. Piccare. Observat. Historico-Polit. P. 1. Dec. 5. c. 6.

lo reip. conjuncta esse debet: nec ipsi Deo ingratum est, cultum  
sæpè suum proximi cedere charitati. Ridenda Judæorum vani-  
tas, quibus satius visum, mille mortibus perire, quam die Sabbathi  
hostem à mœnibus defendere.

XXII. His ita præmissis, quomodo & quatenus in or-  
dinando tempore majestas officia sua præstare debeat, ex-  
ponendum. Sed hic cauto opus, ne Mathematicorum pro-  
prium munus & infra tanti fastigii dignitatem quod est, ma-  
jestati adscribamus. Hæc enim imperio, illi consilio funguntur.  
Tempus autem vel in se, vel cum certis circumstantiis rerum, quas  
metitur, considerari potest. ipsius quidem *temporis*, dicente Sene-  
ca, (n) *intrepida perpetuaq; successio est, & dum cælo sideribusq;  
præcipitat, in nullius redigi arbitriū potest; veruntamen in quan-  
tum mensuræ officium subit, & durationis intervalla intellectu  
nostro manifestare debet, certis illud circumscribi terminis, ejus-  
que cursum veluti sisti oportet. Rectè Scaliger (m): Revera nul-  
lum principium anni est φύσει, sed θεσει, potius, ut in circulo. Has  
metas, hos terminos ponere præter Deum & naturam majestatis  
est. Liberum itaq; ipsi & integrum erit, dierum, mensium anno-  
rum nec non periodorum initia, quas epochas dicunt, prout vi-  
sum & ex usu civitatis fuerit, dispensare & statuere: Siquidem  
alii populi aliis utuntur temporum auspiciis. Diem Judæi, Ara-  
bes, Athenienses ab occasu Solis, Babylonii Chaldæi & Persæ ab  
ejus ortu, Romani deniq; à media nocte; annos autem alii à bru-  
ma, alii à vere, alii deniq; ab auctumno; omnes tamen, quod no-  
tandum, à notabili temporis vicissitudine auspicantur. Porro li-  
berum hic atq; integrum erit, fines & quantitatem temporum de-  
terminare, quo pertinent Olympias Græcorum, Lustrum & Indi-  
ctio Romanorum, Quinquennalia, Decennalia, Vicennalia & Se-  
cularia Augustorum, mensium item & annorum intervalla, vigi-  
liæq; noctium. De quibus omnibus ex professo agere nec mei  
temporis nec instituti est. Liberum deniq; & integrum erit, si  
qua intercalatione opus, quomodo & quatenus commodum & ne-  
cessarium videatur, menses atq; dies interserere.*

XXIII. Pari modo tempus certis circumstantiis involutum,  
& rebus ipsis accommodatum arbitrio majestatis subduci nequit.

C 2

QVO

(l) vid. Brissou. ad Theodosii Codicem de feriis, & Casaubon. ad  
Sueton. August. c. XXXV. (m) l. 10. de Brev. vit. (n) l. c. l. p. 40.

Quo respectu præteritum, præsens ac futurum quoadantenus in e-  
jus potestate esse dixerim, ut mandata, quæ ad tempus dudum præ-  
teritum valuers, in præsentem usum revocare, præsentia differre,  
& quæ in futurum imparata sunt ( cum spe nimirum & conditi-  
one Divinæ voluntatis res universas conservaturæ) vel maturare  
vel procrastinare possit. Quo loco tamen illud cavendum, ne quid  
nimia mutatio & inconstantia summæ detrahat auctoritati. De-  
inde pro varietate actionum civilium, quæ nunc ad negotia merè  
civica, nunc ad res sacras & Dei cultum diriguntur, tempus aliud  
profanum sive Politicum, aliud sacrum esse dicitur. Illuc ludi  
solennes, nundinæ, dies Comitiales & judiciariæ aliaq; stata civili-  
um negotiorum; intervalla; huc jubilæa feriæq; sacræ referuntur.  
Ad utrumq; vim majestatis extendi tum rationibus tum exemplis  
supra docuimus. ut vel verbum addere supervacuum fuisset, nisi  
denuò majestati negotium facebat Pontificis Romani arrogan-  
tia. Is enim quemadmodum omnem sacrorum potestatem sibi  
soli attribuit, ita curam & dispositionem festorum dierum è suo  
pendere tribunali contendit. Ex quo porro concludit Jesuita  
Guldinus (n) totam temporum ordinationem soli Pontifici com-  
petere, quod ea non tantum ad vitam civilem, sed etiam & quidem  
ut potissimum caput, quod in rep. Christiana tanquam aliquod prius  
& nobilius civilis vivendi ratio sequatur, ad ordinatam festorum  
seriem pertingat. Verùm enim verò litem ex lite, errorem ex er-  
rore serit. Conceditur soli sacerdoti administratio sacrorum,  
sed illa, quæ verum Dei cultum beneficio Verbi Divini & sacrorum  
mysteriorum ipsis hominum animis instillat insinuatq; nec in eam  
involare majestas potest; At verò à curatione externi cultus, ad  
quam sacrorum temporum dispositio spectat, excludi non debet.  
Vicarium Dei, reverentiam ejus, cujus vices tenet, tueri, & jus  
illud à natura insitum custodire; nutritium Ecclesiæ bona & be-  
neficia, quibus ejus felicitas conservatur & crescit cumulatè au-  
gere & amplificare decet. In Ebraeorum sanè rep. præcepta de  
feriis non ab Aarone, summo Pontifice, sed à Mo'e, qui pro rege  
erat, tradita acceperunt. Quid de Davide, Salomone, Hiskia, Josia,  
Ne hemia aliisq; referam, qui Pascha & cætera festa, populo pu-  
blicis edictis convocato, aut incredibili pietate commendarunt,  
aut

(n) l. c. l. 1. c. 2. §. 1.

aut majorum vitio desita diuq; desueta instaurarunt? Itaq; ut suo  
ipfius Jesuitam jugulemus gladio, totum invertimus argumen-  
tum, ex sacrorum cura concludentes, ordinationem temporis ad  
civilem pertinere majestatem.

XXIV. Ut vero ea, quæ de tempore sapienter instituta  
sunt, bona fide serventur, & incorrupta tradantur posteris; ut co-  
gnita etiam rude vulgus habeat, quæ cæteroqvi tam obvia non  
sunt, & facile in desuetudinem abire possunt, porro danda ope-  
ra est. Non immerito Flavium eo nomine commendat Livius,  
quod fastos in penetralibus Pontificum repositos evulgarit, &  
circa forum in albo proposuerit, ut quando lege agi posset, sci-  
retur Augustus (o) autem constitutionem Cæsaris & omnem  
correcti temporis ordinem ad æternam custodiam æreæ tabulæ  
& si ul immortale nomen incisione mandavit. Hodiè reperta  
bono publico Calendaria sunt, quæ ut ex præscripto diligenter  
adornentur, & corrupta corrigantur, videre, proprium majesta-  
tis munus est. Nam ut nihil eorum, quæ satis superq; ostensa  
sunt, repetam, Calendarium lex quædam & norma actionum ci-  
viliū est, quæ nec ferri nec promulgari citra consensum majesta-  
tis potest.

XXV. Quamobrem denuò detestamur projectam Pontificum  
Romanorum insolentiam, qui plus simplici vice corrigere fastos,  
& rem Majestati sacram illotis manibus temerare conati sunt.  
Nam quod in Concilio Constantiensi Anno c<sup>o</sup> d<sup>o</sup> XIV. Basile-  
ensi Anno c<sup>o</sup> d<sup>o</sup> XXXI. Lateranensi Anno c<sup>o</sup> d<sup>o</sup> XII. ac Tri-  
dentino deniq; montes, parturivere, tandem aliquando Gregorius  
XIII. venustior ille Martis quàm Ecclesiæ pullus novum aliquod,  
& ut sibi videbatur, emendatius calendarium infelici partu in lu-  
cem edidit. Res ut gesta sit, pluribus ordine enarrant Thuanus (p)  
& Chytræus, (q) quos hic citasse sufficit. Nos quo jure ne-  
gotium hoc susceperit Pontifex, paucis attingamus. Actionis  
justitiam alias commendat res circa quam versatur, facultas &  
voluntas agentis, & modus deniq; agendi, quæ si licita non fue-  
rint, crimine haud vacabit actio. At verò rem prorsus illicitam  
tentasse Pontificem, patet ex iis, quæ hætenus Majestati suam  
vindicarunt auctoritatem; quæ dum destituitur ipse, nulla quoq;

C 3

Calen-

(o) *Macrob. Saturn. l. 1. c. 14.* (p) *l. 76.* (q) *Chronic. Saxon. l. 27.*

Calendarium corrigendi potestate præditus est. Pontificia verò auctoritas neminem facit exortem vel immunem à lege Divina, quæ omnem animam potestati supremæ subijcit. Habet potestatem Papa in ditiones suas, quas vi ac dolis ab imperio Romano avulsas sibi rapuit; & habeat: sed in Imperium Romanum & ejus Imperatorem jus nullum, nullam potestatem habet. Aut si quæ permessa illi sacra jurisdictio est in provincias suæ religioni addictas, huic tamen servitio Ecclesiarum Protestantium Pax religionis omnium Procerum Germaniæ sanctissimo fœdere inita exemit. Quis ergò furor Pontificem in eam impulit mentem, ut Romano imperio vi sacræ, & quam mentitur, divinitus concessæ auctoritatis obtruderet Calendarium, quod omnium Principum, uti par erat, assensu approbari recipiq; non posse animadverteret? Annon hoc erat tentare libertatem religionis, tentare sanctissimæ pacis fœdera? Hoc si negare pergit Guldinus, impudenter negat. Sed nec puduit eum nec piguit scribere, (r) Pontificem duntaxat admonuisse perhumaniter, & benevolè rogasse, non imperasse, ut Calendarium reciperent. Miror hominem sibi non constantem, tanta argumentorum mole, quibus auctoritatem Pontificiam stabilire conatur, jam subdiffidere. Manifestum mendacii coarguit Pontificis edictum, quo ita Dictator infit. *Pro data autem nobis à Domino auctoritate hortamur & rogamus charissimum in Christo filium nostrum Rudolphum, Romanorum regem illustrem in Imperatorem electum, ceteros reges, principes ac respublicas, IISDEM QVE MANDAMUS, ut quo studio illi à nobis contenderunt, ut hoc tam præclarum opus perficeremus, eodem imo & majore ad conservandam in celebrandis festivitatibus inter Christianas nationes concordiam, nostrum hoc Calendarium & ipsi suscipiant & à cunctis sibi subjectis populis religiosè suscipiendum inviolatèq; observandum curent. Deniq; in hunc modum concludit: Nulli ergò hominum liceat hanc paginam nostrorum præceptorum mandatorum, statutorum, voluntatis, probationis, prohibitionis, sublationis, abolitionis, hortationis & rogationis infringere, vel ei ausu temerario contradicere. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Satisne hæc pro imperio?*

XXVI.

(r) l. c. c. n. 9. 6.



**XXVI.** Plurimos quidem, sed ficulneos Jesuita substruere allaborat tibicines, quibus labantem Pontificis auctoritatem fulciat! Provocat ad omnium populorum consuetudinem & consensum, ad Patrum Ecclesiae testimonium, ad temporis praescriptionem, ad ipsam denique S. Scripturarum auctoritatem. Quod Augia stabulum expurgare, id verò esset decimum tertium Herculis laborem exantlare. Otium nobis fecit Dn. D. Strauchius in Dissertatione de Computo Calendarii Gregoriani, cujus fundamenta pleraque supra jam adduximus. Illud adhuc addo, quod perperam existimet Jesuita, praescriptionem temporis posse Pontificem à majestatis crimine absolvere, in quo praetextu prorsus injusto nihil esse praesidii, paulò post patebit. Deinde jus semper confundit cum ejus exercitio. Dum enim priscae Ecclesiae & omnium fere gentium ipse cum Petavio (s) adducit consuetudinem, qua sine consensu principis sacerdotes dispensarint tempora, non animadvertit, eos tantum exercuisse jus, quod nihilo secius penes majestatem semper fuit, etiamsi ab ipsa quo minus exerceretur, tum regia prohiberet dignitas, tum pagana impedimento esset superstitio. Quod verò Concilii Niceni auctoritate se quoque defendere student, haud profectò miror sanctissimos patres mendacii religione obstrictos, quos ne utiqvam praeterit, Concilium illud augustissimo Constantini M. jussu & imperio fuisse habitum.

**XXVII.** Jam qui potestatem agendi temerè sibi arrogat, ejus nec suspicione voluntas caret. Prima quidem specie utilitas publica, optimi cujusque expectatio & desiderium, bene merendi studium, ipsorum Principum hortatus, & monita, & nescio quae speciosa nomina praetexuntur. Sed latet anguis in herba. Hoc enim Calendario velut Eridos pomo in medium projecto, Pontifex sperabat fore, ut Ecclesias nostras in contraria studia scindi dissiparique contingeret, ipse autem voti compos, pericula reip. risu & cachinno interea persequeretur, dum ruenti regno suo velut ex machina stator quidam Olympius succurrat. Cujus rei magnam praebuit suspicionem Hieroglyphicum illud, quod in fronte Calendarii Gregoriani Venetiis primum impressi extitisse B. Mylius (t) refert. In eo enim depicta felis cernebatur murem ore

(s) in praefat. Operis de doctrina temp. P. 1. (t) Vid. Dedekenni  
pen -  
Consil. vol. 1. l. 2. membr. 2. sect. 6. num. 1.

prehendere, ipsa quidem contorta cauda, joco lusuque gestire, musculo autem interea miserum & infelix praebente spectaculum, Cui picturae hoc inscriptum erat apophthegma: *Dissimilium infida societas, imparibus dissidii satis.*

XXVIII. Itaque ut quod animo intenderat, perficere posset, mediis usus est molitioni seditiosae oppidò congruentibus, vi nempe ac dolis. Primò enim aggressus Imperatorem in Comitibus Augustanis cum repulsam tulisset, repugnante Saxone, principes extra imperium Romanum tentavit & regem Galliae in obsequia Pontificis nimis pronum, & earum rerum, quas ille moliebatur, graviter securum, quod ipsi graviter exprobrat Thuanus, (u) facile in partes suas pertraxit, plenus spei, fore, ut ejus exemplo aliis imponeret. Neque res caruit successu. Nam Regis Galliae aemulatione novus Brabantiae dux, ut gratiam Pontificis aucuparetur, Protestantibus in Belgio persuasit, ut Calendarium reciperetur, neque ita multo post Caesar ipse hortatu Pontificis subinde laceratus, quod ante tanquam ineptias & nugas repudiaverat, in deliciis habere cepit, & in suas provincias introduci jussit, quem facile secuti reliqui Pontificiae religionis principes. In Provinciis verò Protestantium, quod fraude non poterat, vi demum extorquere ausus est, ea in re oppidò adjutus à Jesuitis ambitionis suae ministris fideisque satellitibus. Quorum impotentissimus furor praesertim in Amplissimis Civitatibus Augusta Vindelicorum, & Riga Livonum (x) ejectis urbe, qui eorum molitionibus obstabant, orthodoxis Ecclesiae ministris, factiones, turbas, tumultus, crebrasque seditiones concitavit.

XXIX. Praeterea si ex eventu saepe & effectus conditione de jure & honestate actionis judicamus, Pontifex tantum abest, ut quam initio honesta specie praese ferebat, Calendarii emendationem consecutus sit, ut magis miserandum in modum civilia juxta & sacra perturbarit tempora. De erroribus viderint Mathematici, in quibus ipse Clavius hujus seditiosi operis perfector, differri non potest, aliquos restare navos, etsi praeter quatuor plures esse perneget. Dolendum verò eam temporum dissensionem in imperium Romanum invecram esse, quae negotia omnia disturbat,

(u) l.c. (x) Thuanus l. 83. Chytraeus. Chrn. Saxon. l. 26, in fin. & l. 27. ad ann. 1585.

bat. sacra profanat, profana consecrat, religionis societatem di-  
vellit, negotiationes & commercia intercludit, & bonum publi-  
cum vehementer premit & interpellat. Scilicet hac temporum con-  
fusione Pontifex Romanus Anti-Christi nomen sustinere tueriq;  
voluit, de quo dudum illud Divini vates cecinerunt, *extitutum in*  
*Ecclesia, qui leges & tempora mutat.*

XXX. Tandem benè notandum est, Imperatorem in Edi-  
cto quodam ad Augustanam civitatem ea de re dato, expresse pro-  
fiteri, *se non imprudente nec sine suo assensu* Novum calendarium  
esse adornatum, quæ verba imperatoriam auctoritatem à jugo  
Pontificis manifestò vindicant, idq; adeò Augustanæ Ecclesiæ  
ministros Evangelicos è suggestu cives diligenter admonuisse, ut  
intelligerent, non auctoritate Pontificis, sed imperio Magistra-  
tus Calendarium recipi, tradit in Chronico suo Chytræus (y)  
Neq; enim improbamus eorum consilium, qui superiori ob ratio-  
nes merè politicas Novi Calendarii usum imperanti parere ma-  
lunt, quam seditionibus occasione oblata, remp. in discrimen ad-  
ducere. Tum enim non auctoritate Pontificis, sed magistratus as-  
sensu & approbatione nituntur, id ipsum qui recipiunt. Quod  
si verò focus subsit, nec tam calendarii mutatio, quam religionis  
mutandæ quærat opportunity, majori cautione opus esse, rectè sta-  
tuerunt Protestantes, qui religionis libertati pace Passaviensi con-  
cessæ Calendarium Pontificis fraudi esse animadvertentes, constan-  
ter illud repudiarunt. Neq; dissimili ferè consilio usi Ecclesiæ  
Græcæ Patriarchæ, Constantinopolitanus & Alexandrinus, qui  
Armeniis, de Calendario Gregoriano consulentibus, quibus il-  
lud Pontifex, non secus ac sub ditionem Romanæ Ecclesiæ reda-  
ctis obtrudere volebat, A. C. cl. d. LXXXIII. Dec. X. rescripse-  
runt, *ipsorum Ecclesiam minimè sub imperio ac Potestate Pon-  
tificis Romani esse, se de Paschate sanctissimorum Patrum senten-  
tia iudicioq; standum, qui solis Veteris Romæ astronomis decre-  
ta universæ Ecclesiæ corrigendi negotium neutiquam dederint.*  
Quod rescriptum unà cum aliis quibusdam Archiepiscopi lau-  
dati ad Germanos literis, quas Ἰάκωβος ὁ Παριεφύμης Μηλονίτας  
D natio.

(y) l. c.

natione Græcus attulit, Francofurti ad Oderam Anno cl<sup>o</sup> d<sup>o</sup> x<sup>o</sup> e.  
evulgatum est.

XXXI. Optandum verò majorem in modum esset, ut tempora civilia in imperio Romano rursus secum invicem redirent in gratiam, & tot jam præsentis difficultates, multoque majora sequenti seculo futura impedimenta, quibus bonum publicum fastorum divortia involvunt, de medio removerentur. Neque defunt prudentissimorum Virorum Consilia, quibus in reconcilianda temporum concordia præclaram posuerunt operam, consultum imprimis fore rati, ut utroque calendario abrogato, Novum de integro conficiatur, quo non tantum errores, qui Calendario Veteri longo temporis decursu obrepserunt, tollantur, verum etiam Imperatoriæ auctoritati sua in integrum restitueretur potestas, quam Pontifici Romano Calendarium Gregorianum injusto titulo vindicat. Quamquam verò nonnulli satiùs esse putent, ut retenta Veteri formâ tantum errores temporis Paschalis accuratiori & astronomico calculo emendentur, quo remedio futurum existimant, ut tam Julii Cæsaris, quam Concilii Niceni auctoritas servetur integra; hæc tamen bono publico præverti non potest, quando sententia horum auctorum non satis occurrere videtur difficultati, quæ in illud adhuc & præsertim in agriculturam ex corruptis fastis & temporum inconstantia redundat. Quod nemo inficias ibit, qui compertum habet, vel ex uno die plurima horum negotiorum pendere momenta, & observata hodie ex usitatis calendariis agricolendi tempora spem frustrari colonorum, crebrasque jactare querimonias, quibus naturam ipsam, & nescio quas ejus senescentes vires accusari audias. Uti verò totius Romani refert imperii, Cæsaris auctoritate emendari fastos, ita B. Lutheri (Z) consilium ad eam rem maximè conducit, ut omnium Procerum Germaniæ, & qui finitimis provinciis terra marique imperant, unanimi assensu & cunctis suffragiis hoc negotium decidatur, quæ res tentata quidem in novissimis comitiis, successu tamen caruit, qui adhuc magis exoptari videtur, quam expectari posse.

XXXII.

(Z) Vid. Tom. 7. Edit. Altenb. p. 257. seq.

XXXII. Sed à divorticulis, in quæ nos abduxit Pontificis arrogancia, redeo ad institutum; quo partes & officia majestatis circa tempus ordinandum explicare cæpi. Hoc autem uti non in majora modò intervalla, menses, annos & dies, sed dies adhuc in minora momenta sive horas dispartiri solent, ita de illis ut certi quid constaret in publicum, fastis & calendariis, has verò significandi varia usi sunt consuetudine. Vetustissimus Solariorum usus est, quæ jam tempore Achaia multo ante Anaximenem, quem primum eorum inventorem Plinius (a) nominat, extitisse sacrae (b) nos docent literæ. Romanis Clepsydra, quæ aquam guttatim stillans ac veluti suffurata horas notabat, è Græcia serò innotuit, cum antea consulis accensus è curia inter rostra & Græcostasin solem prospiciens, meridiei horam publicè pronuntiaret, quale puerorum quoq; munus Alexander ab Alexandro (c) meminit. Sed hæc incerta fuit horas significandi ratio, quæ nec semper valuit, neq; publico usui adeò inservire potuit. Posterorum sed ingenii prorsus divini inventum Horologium est, quod hodiè tintinnabulorum sonitu omni tempore horas indicat. Hoc ut insigne artificium, & nostrorum temporum felicitati deputandum est, cujus beneficio & ordine partiri labores, & multos vitæ civilis errores evitare licet, ita ejus curam nec posse à Magistratu, nec oportere negligi, adeo verum est, ut apud nostrates in proverbium abierit, *ex justa Horologiorum gubernatione ordinatum reip. statum æstimari*, cui occasionem dedisse credo gloriosissimi Imperatoris Caroli V. dictum, quo duo esse pronunciat reip. benè constitutæ argumenta, *Scholam rectè institutam, & horologium juste dispositum*. Nil equidem prudentius dici à tanto Imperatore potuit, siquidem Horologiorum errores omnes actiones publicas disturbant, opifices ac mercenarios defraudant, peregrinantes mirificè ludunt ac sæpè in viarum pericula conjiciunt. Huc etiam pertinent campanæ, tubæ, & alia temporum indicia, quorum magistratus hoc minus sit incuriosus, quò majore cum periculo conjunctus est eorum ad seditionem concitandam abusus. Turcæ eam ob causam nullas

D 2

tole-

(c) l. 2. c. 76. (a) 2. Reg. XIX. (b) l. 4. c. 20.



tolerant campanas, de quorum instituto nihil libet addere, nisi illud Poëta:

*Dum stulti vitant vitia in contraria currunt.*

XXXIII. Hæc verò omnia ut rectè constituentur, & constituta, ut par est, observentur, artes Mathematicas ali, & earum peritos decet, sine quorum opera nec summa, quæ ad tempus ordinandum requiritur, accuratio adhiberi, neq; tot difficultates obscura subtilitate, & subtilissima obscuritate involutæ satis expediri possunt. Ut Cæsaris & Persarum regis, quorum mentionem supra feci, illustre exemplum non repetam, quid quæso tantam annorum varietatem peperit, quid in Ecclesia & imperio nostro tot turbas dedit, nisi motuum cœlestium ignoratio, & Mathematicorum vel penuria vel infestum odium, quod sibi pulcherrimarum artium, uti plerumq; fit, pessimo abusu contraxerant, abominabili superstitione adeò invisi Priscæ Ecclesiæ, ut sacratissimus Imperator Justinianus eos proscriberet, & ultimam poenam in omnes statueret, qui Astronomos consultum iret? Præterea quod artifices quoq; sustentari, & præmia nonnunquam iis proponi consultum sit, qui Horologia construendi artem calleant ( exemplo Caroli V. qui magnos sæpè sumptus in eos impendisse dicitur) totius reip. plurimum interest, Horologiis curandis dirigendisq; ad temporis & cœli meatus, præfici peritos homines, ne usu veniat, quod vulgò dicunt, *omnes sequi unius stulti arbitrium, qui stultè regit Horologium.*

XXXIV. Superest, ut alterum majestatis officium, quod in dirigendis ad ordinatum tempus civium actionibus consistit, breviter & tribus verbis disseram. Sed ab instituto prorsus alienum non erit, in illud antè inquirere, numquid ipsa majestas temporis legibus adstringatur? Sunt, qui cœlo & sideribus, certisq; annorum periodis conversiones rerum publicarum tribuentes, temporis arbitrio majestatem permittunt. Quod commentum vel sola ejus mentione refellitur. Tantum coarguo extremam eorum impudentiam, qui de tota civili societate ex astris fidenter pronunciant, quod ne quidem in unius hominis vita vel probabili conjectura satis assequi possunt: & si lex quondam capite plectebat

bat, qui de vita principis ex caelo judicasset, quanto majori jure in eum statuentur exempla, qui de tota rep. ausit hariolari. Sed illud leve ac nugatorium est, & aliò spectat. Majoris videntur esse, quæ infantibus puerisque majestatem derogant, eamque certo ætatis tempore circumscribunt. Veruntamen si rectè ponas calculum, ætas, quæ rationis usu nondum pollet ad imperium necessario, non imperandi facultatem ipsam, sed vim duntaxat eam exercendi moratur, & imminuit. De quo dubitare amplius non potest, qui tot exempla recogitat imperii pueris atque infantibus collati. Nec minùs vim faciunt Majestati, quot quot Romano Dictatori eam deferunt, certisque legibus ita limitari posse, ut definito tempore revocetur, contendunt. Si namque summa est, sine ulla temporis æque ac loci exceptione confertur majestas. Hæc superior civili lege ut à solo Deo communicatur, ita is solus, quando visum fuerit, potestatem habet repetendi, quod suum est. Itaque princeps nisi vel Dei ac naturæ jussu, vel violento victoris arbitrio, vel sua sponte cesserit, imperio se abdicare cogi non potest. Tandem qui præscriptionem inter legitimos majestatem acquirendi modos referunt, pariter eam temporis cancellis circumscribunt. Sed æque absurdi, quod legibus civilibus, inter quas haud dubiè præscriptio est, summam alligent potestatem. Si majestatem jam possidet, possessamque exercet, quicumque sive per vim & fraudes, sive tacito ejus, à quo deferta habetur, consensu occupavit imperium, quid demum præscriptione, ut de integro sibi acquirat, opus est? Si nulla temporis in rebus vis est, quis illud credat, tantum posse in imperio, quantumvis longissimum omnemque excedens memoriam, ut quod solius Divini arbitrii est, majestatis possessionem diribeat variisque permutet vicibus?

XXXV. Etsi verò nulla lege, nulla ordinatione vel habendi summam potestatem, vel possidendi, vel exercendi tempus præscribi possit, tamen quia principis vita in civium mores transformari solet, eum cum primis decet, suo subditos monere exemplo, ut suo quæque tempore peragant. Danda itaque opera, ut in aula sacra potissimum tempora ne profanari, nec dierum noctiumque perverti vices, sed laborum & quietis, nego-

tiorum & voluptatis certa patiantur esse intervalla. Sic enim & majore fructu & minore molestia compesci actiones subditorum & ut ordinem à Deo, natura legibusque civilibus institutum sectentur, acrius moneri adigique possunt.

XXXVI. Quod igitur ad eorum actiones præstituto tempore dirigendas attinet, quædam hic generatim monuisse sat est. Ante omnia sacrorum, judiciorum, comitiorum, nundinarum, commerciorum aliorumque negotiorum, quæ bono publico serviunt, statuta sint certoque modo definita tempora, quæ nec maturari, neque extrahi fas sit, & suæ quisque domi sciat, quomodo & quo tempore in templo, in curia, in foro versari deceat. Non tantum Ecclesiæ sed totius reip. interest omnia *κατὰ τὰξιν καὶ εὐχρημοσύνην* fieri summamque rerum vitari confusionem, ne cuilibet quidlibet & quolibet tempore liceat. Græcos religiones certis temporum intervallis summa cerimonia coluisse, Cæsaremque in ordinandis fastis prudenter cavisse, ne religionis sui cujusque mensis à loco summoventur, nec non Augustum, ut senatores minore molestia fungerentur officio, sanxisse, ne plusquam bis in mense senatus ageretur, nec ante lucem vel post occasum fieri senatus consultum, nec nisi nonis haberi nundinas Romæ fas fuisse, Persas etiam nuptiis contrahendis certum præfinitisse tempus, non sine laudis præfatione scriptores passim commemorant.

XXXVII. Deinde si aurora Musis amica & rebus gerendis aptissimum tempus judicatur, ejus in omni vita & religione præsertim Dei que cultu habenda ratio est. Sana opinio Apollonii Tyanæi (e) fuit, *summo diluculo cum Diis versari, procedente mox die de diis loqui oportere.* Nec sua laude fraudanda Persarum & Magorum religio est, quibus in more fuit positum, primo mane canere diis, hymnosque & laudes dare, & orientem solem venerari, quod matutinum tempus sacris rebus apprimè idoneum æstima- rent, Deosque tunc assidere templis & matutinis salutationibus adesse haud vanè persuasi essent. Et Olympico agone pulchrius, præstanti-

(d) *vid. Sveton. in August. Alexand. ab Alex. l. c. l. 4. c. 11. Zvinger. Theatr. p. 4167.* (e) *Alexand. ab Alex. l. 4. c. 17.*



stantiusvè Demosthenis (f) certamen fuit, qui cum opificibus antelucana contendere sive industria.

XXXVIII. Huc deniq; pertinere ætatem arbitror in iis præcipuè spectandam, qui publicis muneribus præficiuntur, ne vel admodum juvenes, vel senio nimis tardi ac graves deligantur, quibus reip. moles, cui ferendæ neutri pares sunt, innitatur. Idem in delectu militari habendo & paciscendis nuptiarum foederibus ut observetur, etiam atq; etiam monent rerum civilium consulti. Quæ omnia sigillatim, ut res postulat, explicare, & quæ ratione in sacris, in forensibus, in domesticis cujusq; negotiis omnes temporis articulos in numero haberi deceat; & quanto quæq; tempore dimetienda sint, justa tractatione persequi velle, id verò immensæ molis nec mei laboris est. Satis habeo, nec omnia, nec nihil attulisse. Hæc verò, qui examissim perfecta & satis exasciata non esse animadvertent, eos rogo, mecum redeant in memoriam ædis Dianæ, quæ nihil magnificentius, nihil sumptuosius, nihil magis consummatum Græcia vidit, huic tamen perficiendæ, ultima nunquam imposita est manus, donec tota incendio conflagraret. Equidem de opusculo nostro tumultario tam arroganter non sentio, ut cum hoc artis & naturæ miraculo illud contendam, existimo tamen, nihil unquam omnibus numeris suis & partibus undiq; expletum confici, cui non alterius diligentia & ingenium addere aliquid, si non aliud, saltem invidiam possit.

(f) Cic. 4. Tuscul.

SOLI DEO GLORIA!



antelucana concubere (veritatis) ...  
XXXVIII. Huc deinde pertinet status ...  
admodum iustas, vel tenuissimas ...  
quibus temporibus, cum tenenda ...  
id est in delictu militari habendo & ...  
tibus ut oblectantur, etiam ad ...  
coelitus. Quae omnia legibus, ut res ...  
rationem in facere, in forentibus, in ...  
sua temporis articulo in numero ...  
quod temporis intervallum, in ...  
id est in minimis, nec meo ...  
maius nec nihil ...  
sua ... non esse ...  
in ...  
non ...  
incendio ...  
ita ...  
illud non ...  
...

non ...  
...

SOLI DEO GLORIA



05 A 1202

ULB Halle

3


003 764 80X



VD77







Q. D. B. V.  
DISSERTATIONE POLITICA  
**JUS MAJESTA-**  
**TIS CIRCA TEMPUS,**  
**PRO LOCO**

Ab Amplissimo Philosophorum

Ordine indulgentissimè sibi  
concesso,

IN ALMA LEUCOREA

*publicè vindicabit*

PRÆSES

M. FRIDERICUS CHRISTIANUS

**BÜCHER** /

Schliben. Saxo,

RESPONDENTE

**JOH. PAULO REINECCIO,**

Heringa - Thuringo.

*Die XXII. Novembris Anno c1, 1c LXXVII.*

*In Auditorio Majori.*



VVITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Siegenbeins.

*J. P. Reineccio*